

Ant. v. Gieseler. Ant. v.

Ms. 59.1.

RECITATIO PHILOLOGICA ²⁶
SUPER
PSALMO XLV.

IN
COLLEGIO PHILOBIBLICO
QUOD LIPSIAE FLORET,
HABITA.

QUA ILLUD
VIRO SUMME REVERENDO
CHRISTIANO SAMUELI WEISSIO
THEOLOGIAE DOCTORI ET AD AEDEM NI-
COLAITANAM DIACONO SUMMOS IN THEO-
LOGIA HONORES OBSERVANTER
GRATULATUR.

PER
C. F. RICHTERUM A. M. *ab*

LIPSIAE SEXTILI MDCCCIV.
LITERIS LOEPPERL

Georg. Christianus Richter

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

REINIGUNGSMITTEL

als

Handwritten signature or mark



VIR SUMME REVERENDE!

Fautor atque Patrone pie colende!

Clementer excipe libellum pietatis nostrae
aeque ac virium mearum tenuitatis testem
idoneum, ex collegii nostri voluntate TIBI
a me offerendum. Vix enim dignus vide-
batur prodire in dierum sollemnitate, eximiis
Tuae eruditionis speciminibus tam illustri,
destitutus quippe omnis ab ingenii acu-
mine, doctrinae copia et orationis elegan-
tia. Quae quidem conscientia metum haud
levem nobis iniecit, ne opus voluntati atque
consilio male conveniret, TIBIQUE auc-
tor nullo nomine probaretur, quod eo cer-
tius timendum erat, quo perfectius atque li-
matius opus et rei tractandae gravitas et
consilii sanctitas flagitabant. Tuo enim
in primis ac aliorum virorum doctissimo-
rum acutissimo iudicio libellus tradendus,

A 2

Tibi

Tibi linguarum peritissimo nostrae doctrinae penuria prodenda, Tuis auribus atque Tuo denique subtilissimo sensui tractatio exhibenda erat, verborum ornatu atque interpretationis elegantia penitus privata.

Quo minus vero omnem spem abjicerem, fore, ut unquam libellus noster in Tui gratiam venire possit, Tuæ insigni humanitati unice debeo, quæ mihi plane persuasit, Te non tam operis nostri labes ac naevos reprehensurum, quam potius societatis nostræ voluntatem ac studia esse laudaturum, bene memorem, nos non ex TUAE doctrinae abundantia sed pro qualicumque virium nostrarum modulo esse judicandos. Te igitur aequi ac boni consulturum consilio nostro atque recitationem in Collegio habitam recte aestimaturum esse, ea de causa certus spero, quoniam TU societati nostræ quondam et ipse ornamento eximio fuisti, atque res et consilia ipsius optime cognovisti, ut libellus noster Tibi non omnino improbandus sit.

Hujus enim societatis nomine, Praesidis Venerandi et Commilitonum Doctissimo-

mo-

morum jussu gratulor Tibi summos in-theologia acceptos honores, atque novam dignitatem, quam TU non minus ornare censeris, ac Te illa. Gratulamur TIBI vero eo lubentius, non solum, quo major in nobis virtutum Tuarum veneratio deprehenditur, sed quo plus etiam decoris ac splendoris ex Tuis honoribus ad societatem nostram redundare videtur, cui fortasse non pauca debes, quae Tibi in omni theologiae campo emetiendo admodum profuerint. Permittas igitur ut aliqua ex parte in honorum Tuorum societatem veniamus, atque Tuo nomine vel nunc Collegium Tibi quoque gratissimum condecoremus; sic enim et absens societati esse pergis beneficio, cui haud spernendum inde accedit incrementum, quando tanta nomina, quorum numerus admodum parvus semper fuit, in ejus subfelliis meruisse dicuntur. Voti ardentissimi nos redderes compotes, si fructum libelli nostri saltem hunc expectare liceret, quod ope ipsius Tibi grata ac jucunda societatis nostrae memoria fuerit recollenda.

A 3

Bene

Benevole igitur accipias quaeso societatis vota et pro Tua salute, et pro gentis Tuae splendidissimae incolumitate, nullis calamitatibus turbanda, ut non solum per longum adhuc tempus vitam vivas felicissimam, sed etiam muneribus ac honoribus Tuis in ecclesiae et rei litterariae commodum fungaris. Beet TE Deus ter Optimus Maximus Tuaeque gentis splendorem omnis generis bonis, et ornet TE curarum atque laborum Tuorum praemiis dignissimis. Nascantur Tibi ex novo conjugio et ex gente splendidissima gaudia uberrima.

Praesidem Venerandum vero atque Sodales Collegii nostri, ut habeas Tibi quam maxime commendatos, nostramque felicitatem Tuo favore augeas, ardentissimis precibus Te rogatum cupimus.

Vale, nobisque Fave.

PC. XLV.

Carmen, cujus argumentum a variis varie enarratur, simulque in oppositas partes trahitur, praecunte titulo amores regis et quidem Salomonis canere mihi videtur, cui nuptiae nunc erant celebrandae. Quae occasio carminis pangendi, cum sit secundum I Reg. C. III. perse verosimilis, neque quicquam in psalmo reperiatur huic sententiae contrarium, nam laudes regis formosi, fortis ac justae praemissae isti scriptoris consilio nihil officiant, omnes hymni nostri partes facilius, quam aliorum opiniones de Psalmo nostri causa, quae conjecturis dubiis atque incertis nituntur, ad hanc sollemnitatem referri possunt ac debent. Alii v. c. Vir Doctus quidam anonymus *) putant, Psalmum canere regis in praelia descendentis virtutem, atque victoriam ab ipso reportatam, clade hostium eximia et praeda

A 4 pñl

*) v. Eichhorns Bibliothek II B. I St.

pulcherrimarum foeminarum insignem. Cui vero opinioni quam parum ultima Psalmi pars conveniat, quae tota in eo est, ut reginae amatae neque vero captivae decus atque ornamenta depingat, quis est, qui non intelligat? Accedit hoc, quod praeter Salomonem neque ullus fuerit rex, in quem tot ac tantae caderent quadam juris specie laudes, quae huic regi a poeta tribuuntur, nec unquam post Salomonem tam laeta extiterit rerum facies, quam quae hic descripta legitur. Ad Salomonis mores, vitam atque tempus in toto Psalmo referri imagines atque sententias, nec non orationis suavitatem atque elegantiam inde esse repetendam, jam Venema demonstravit, id quod profecto cuique concedendum erit, qui non tam sermonem hebraicum in florentissima Salomonis aetate recte cognoverit, quam potius splendoris et mollitiei luxus atque pompae isto tempore regnantis memor fuerit. Qua de causa neque cum Judaeis de Davide vel Hiskia, neque cum recentioribus de rege quodam Syros bello opprimente cogitari poterit, qui, nulla ipsius mentione facta, ex mera conjectura arripitur. Tum enim ad incertitudinem notitiarum historicarum confugere, et ad fontes vitae regum Judaicorum domesticae minus uberes non provocare licet, quando omnia nos ad tempus quoddam, nimirum
 Salo-

Salomoneum trahunt, quod ut in hoc Psalmo depictum agnoscamus, non solum universa carminis compositio nobis suadet, sed etiam historica istius aetatis cognitio, quae Salomonem quidem non ut bonum ac fortem ducem, bellorum et victoriarum gloria conspicuum, at regnum ipsius tamen pace longe lateque regnante felicissimum describit. Verum enim vero, inquit, illa descriptio regis fortis, gentes externas bello domantis et provincias remotissimas suo imperio subjicientis, quantopere adversatur moribus Salomonis mollitie corrupti? quam abjectae et humiles hae laudes censerentur, ab ejus ingenio et vita alienissimae? quam parum probabile est hymnum tam impudenter adulantem a piis ac religiosis Judaeis fuisse in ipsorum usus receptum et ad nostra usque tempora propagatum? At huic dubitationi occurri potest, si Psalmi argumentum atque consilium accuratius indagaveris, quod huc tendit, ut poeta regi juveni nuptias facienti quaevis bona apprecetur, et virtutes enumeret, quibus ipsum fore conspicuum tam certa spe teneatur, ut has virtutes jam in ipsius laudibus referat, sicque eum ad illas sibi comparandas exhortetur. Spem atque expectationem, fore ut rex sit fortis et victoriis ornatus, neque descriptionem ipsius historicam in Psalmo nostro legi, vel illi, qui de alio rege

rege cogitant, fateri coguntur; siquidem quae optantur, ea et expectare, tam commune est hominibus, ut noster quoque poeta in initiis imperii Salomonis spem et vota sua de regis virtutibus et fatis isto hymno declararet. Argumentorum primum, quibus b. Dathius sententiam de Psalmo nuptiis Salomonis dedicato impugnavit, sic se habet, quod laudes regis enumerentur nuptiis celebrandis non aptae. De quo tamen an aptae sint haec laudes, quomodo dubitari possit, vix intelligo, cum in carmine amores alterius canente virtutes ipsius non male commemorari videntur, ad sponsae felicitatem recte describendam. Alterum hoc est, quod uxor neque sponsa adfuisse dicatur, cui opponere liceat, quod sponsa hac sollemnitate jam uxor ipsius fuerit declarata, de qua tamen voce infra pluribus disputabimus. Tertio loco b. Dathius contra nos monet, regem describi, cui jam sit progenies, at haec objectio nititur falsa interpretatione.

At temeritatis esset, si eorum sententiam silentio premerem, qui de Messia hoc in Psalmo agi putant, Jesumque carminis nostri subjectum constituunt, cum ab omnibus fere theologis locus noster ita explicetur, neque aliter ab auctore epistolae ad Ebraeos sit intellectus, cujus auctoritas alii explanationi quam maxime adversari videtur. Auctorem enim

enim epistolae ad Ebraeos *) Psalmum nostrum vere de Messia explicuisse, neque eum ad suos usus accommodasse, a nobis conceditur, atque aetati Jesu haec explicatio omnino vindicatur. Quamvis de hujus Messianae explanationis veritate non tantum non dubito, imo in Venemae partes concedo, qui Psalmum nostrum directe de Messia, indirecte de Salomone explicandum censet, mihi tamen intacta mansit ista sublimior interpretatio, quia philologo in philologicis partibus acquiescendum erat.

Ordo psalmi

Carmen igitur nostrum, ad Odarum genus pertinens, in Salomonis nuptias compositum, virtutibus dilecti enarratis, laudatoque sponsae sic commendato sensus amoris teneros atque jucundos tractat. Hic enim notationum ac sensuum ordo esse videtur, ut poeta, dedicatione praemissa, statim ad virtutes regis laudandas transeat, atque pulchritudine et eloquentia ipsius commemorata, paulo longius in praedicanda virtute ejus ac animi fortitudine, justitiae atque veritatis studio incensa haereat; tandem vero, praemiis harum virtutum descriptis, felicitate nimirum regni istius et conjugii nunc celebrandi sollemnitate exposita, ad sponsam ejusque venustatem ac

*) Ep. ad Ebr. I, 8.

formositatem celebrandam se convertit. Hortatur eam, ut penatum sit jam immemor, laeta ac hilaris, ut rex ipsius amore capiatur, quem si consequatur, fore sperat, ut gentes externae ipsius benevolentiam sint ambiturae, eique munera splendidissima ac ditissima obtulatur. Pulchritudine, quae regis amorem ipsi conciliarat, descripta, ipsa ad regem adducitur cum sociis, ut ab eo in palatium recipiatur, sicque pro ipsius uxore tite declaretur. Denique poeta noster verecunde prolem futuram honore et dignitate condecorandam reginae gratulatur, et ad se rediens laudes reginae nunquam interituras, hymni sui fructum sperat gratissimum. Duae igitur partes carminis nostri constitui poterunt, quarum prior regis virtutes et felicitatem, posterior reginae pulchritudinem, connubiique festivitatem describit, neque ut ab aliis fieri solet, rex posteriori hymni parti immiscendus est, cujus commemoratio certitudini in interpretando admodum officeret.

Odae Χαρχυτης

Odae hujus indoles grata ac mollis sese effert interdum ad sensuum sublimitatem. Bona verba promittens, venustatem et os regis disertum laudat, sed ne carmini nostro desset actio, quae in Oda esse debet, statim ad regem, arma fumentem, curru vehementem telaeque mittentem ita depingendum transit, ne vel sic actio quiescat, sed hostes sagittis peti

ti ad pedes regis corruentes sistantur. Redit iterum ad sensus suos declarandos, quibus totus Psalmus refertus invenitur, atque varietate membrorum, prolixitate imaginum, vehementia sensuum, vi denique prosopoeiarum summum sublimitatis fastigium attingit, ad spem fovendam, quae Judaeis jam Davidis aetate fuerat, de regno nimirum aeterno, deque sceptro imperii recte tenendo. Pergit in justissimi regis laude et felicitate exinde enata depingenda, atque virtutibus reginae externis, pulchritudine formae et splendore vestium laudatis sibi viam parat, ad odæ finem adducendam, quem ita instituit, ut novo actu puellas formae gratia insignes, in aedes regis introducat, quarum pulcherrima ad regis dextram sedit, splendidissimis vestibus ornata. Tot et tam varii sensus hactenus a poeta expositi, mox propius, mox remotius a Psalmi consilio aberrantes nunquam bonum odæ ordinem turbant, sed magna cum elegantia omnes ad poetae scopum tendunt, atque notionum simplicitas ac sensuum compositio tanta facilitate expeditur, ut nodus ab eo nexus solvatur, locus vero confusio nullus relinquatur. Ambitus odæ est perfectissimus, quando a notione laudum exorsus, ad eandem in fine Psalmi redit, et quod fuerat poetae primarium consilium, regi nimirum nuptias gratulandi, ita tenet, ut per medium Psalmum, et in fine aequè ac initio eandem notionem

tra.

tractet, eosdemque sensus exserat, quamvis id pro vi ingenii sui vario et multiplici modo fecerit. Carmen igitur praestantissimum, quanquam non ad artis leges factum, tam suavibus sensibus, tam tenera ac molli oratione plenum, tanta compositionis *eleganter* ornatum nobis esse videtur, ut illud non solum pro gratissimo poëseos hebraicae munere non possim agnoscere, sed etiam multis similis argumenti carminibus aliarum gentium nostrum praeferre cogor.

Inscriptio Psalmi.

V. 1.

על ששבים, ad Hexachordon, adhibito instrumento sex fidibus obducto. Ex analogia verborum שליש 1 Sam. XVIII, 6. et שמינית Pf. VI, 1. esse debet אששבים. Plerique veterum interpretum propriam liliorum significationem exhibuerunt, quae etiam ad formam instrumenti musici translata fuit.

לבי קרו, num his verbis auctor Psalmi indigitari possit, incertum videtur, cum libri Chronicorum Corachitas semper in Musices et artis canendi peritorum numero recenseant, neque unquam carmen ab ipsis fuisse compositum commemorent, quanquam hoc silentio nondum demonstratur, nullum horum cantorum potuisse conscribere hymnos. Sive igitur artis canendi causa hic commemorentur

tur, sive inter Corachitas fuerint quoque poëtae, historia quidem nos semper deslituit, ex qua neque probari potest, utrum Corachitae Psalmos composuerint, neque ex ea constat, quam diu Conachitarum schola extiterit, sed genius horum Psalmorum, sensuum ac notionum summam similitudinem praese ferens, eos uni auctori, fortasse Corachitae vindicare videtur, qui, nisi me omnia fallunt, felicioribus rei publicae Judaicae temporibus vixit. Quam praeclarus fuerit poëta noster, vel unus Psalmorum, hoc nomine insignitorum, cuius persuaderet, nam fere omnes alios superant sensuum suavitatem ac sublimitatem, imaginum vi et dictionis brevitate, quae Psalmorum dictorum virtutes vix permittunt, ut eos ad tempora post exilium Babylonicum secuta referas.

משכיל, Erudiens. Carmen didacticum, sine dubio ferio tempore, vel contra Psalmi genium, vel ex interpretatione mystica additum.

שיר וידרה Haec verba a poeta ipso huic carmini praemissa videntur, sed male a Masorethis cum **משכיל** juncta. Aquila vertit *ἄσματος προς φιλειας*, quam interpretationem et nos sequimur, carmen amorum, in amorescriptum, „epithalamium“ Herderus „*Sied der Liebenden*“ at de sponso et sponsa quominus cogitari possit, impedit genus foemininum verbi **וידרה** LXX, Symm. et Theod. *εις τ' αγαπητων* ver-
tentes

tentes sensum expresseerunt. Dathii explicatio „carmen praesantissimi argumenti“ videtur nimium discedere, tum ab usu inscriptionum, tum a vi verborum propria. Non minus ac in horum verborum significato constituendo, interpretes de modo, quo haec verba nectenda sunt, dissentiunt, cum alii ea ad inscriptionem remittant, alii vero illa cum verbis **רָחַשׁ לְבִי** conjungant, hac ratione permoti, quod sic paralelismo membrorum melius consulatur, dum quatuor prodeant commata. At enim vero paralelismus sententiarum vel solis tribus membris salvus manet, neque opus est, ut alia versus particula alii semper opponatur, sed interdum plura ut h. l. membra sibi junctim respondent. Deinde verbis **שִׁיר יְרִידָה** ad titulum remissis reliqua sic cohaerent, ut nobis ne opus quidem sit, unum subaudire verbum, quodvero verbis **שִׁיר יְרִידָה** cum **אֶעֱרֹא אֲנִי לְמַלְךְ** junctis ita fieri debet, ut **אֶעֱרֹא אֲנִי לְמַלְךְ** admodum dure subintelligatur.

Dedicatio Psalmi.

V. 2

רָחַשׁ pr. ebullire, cum vi et copia proferre. Est ex eorum verborum numero, quae notionem actionis depingunt, sicque orationi vitam atque colorem induunt, Herderus ex
genio

genio linguae nostrae eleganter vertit „es
wollt auf“ Dathe „gestit proferre.“

דבר טוב, bona verba i. e. fausta quaevis. דבר
idem esse videtur ac שיר, atque טוב suavis.
„Ebullit pectus suave carmen“ נאמר, h. l. non
tam est loqui quam declamare, canere. Cf.
Pf. XL. 11.

מעשי Aquila et Symm. τα ποιηματα μου et
LXX τα εργα μου vertentes suffixum vel nunc
servandum tenuerunt, nobisque in significato
verbi מעשי definiendo fuerunt auctores,
quanquam linguae usus verbo מעשה signifi-
catum carminis non tribuat. „Canam regi hym-
num meum“ Canam odamin regem. Vir Doc-
tus ille in Bibl. Eichh. et Münthinge ad h. l.
lectionem למען מעשי suadent, cui vero non
solum veterum auctoritas adversatur, qui suffi-
cium ו legerunt, sed etiam usus particulae
ל, quem tamen subtiliter admodum ex usu
articuli ו in lingua Arabica explicari posse
existimant.

„Lingua mea est quasi stylus scribae pe-
riri“ i. e. os meum excipit et profert animi
sensa veluti scriba alterius verba calamo excipit.
„carmen eloquar“ מריר ex Syriaco est prom-
tus atque exercitatus. neque festinus uti LXX
Symm. et Aquila verterunt. Haec interpre-
tatio facilius ea esse videtur, quam V. D. in
Bibl. Eichh. amplexus est. Subaudit ב ad
טו et vertit „ad sis stylo linguae meae scriba
perite“ „Schreiber hierher mit dem Griffel“
B Hic

Hic igitur versus, introductionem in Psalmum continens, tum consilii gravitatem prodit, tum hymnum regi sacrum esse declarat, quae dedicatio vix elegantior cogitari poterit, brevitate atque auctoritate insignis. Dedicatio a reliquo carmine separanda est, nam si Psalmus ab ea exordiretur, lector non statim in mediam rem raperetur, quod fit, simulac odæ initium tertio versu constituitur.

V. 3.

Poëta statim in laudes regis excurrens primo loco formae pulchritudinem commemorat, qua praediti vel reges istorum temporum numero hominum fere eximi solebant, quos inter v. c. Saulus referendus est, sola formae proceritate ad thronum Judaicum evectus.

יְפִיפֵיִת מְבִנֵי אֲדָם „pulchrior es quam homines“ pulcherrimus es hominum. V. D. in Bibl. Eichh, explicat בְּנֵי אֲדָם de hominibus inferiorum ordinum, de plebejis, quae verborum est significatio, si iis opponantur בְּנֵי שָׂאֵל uti in Ps. XLIX, 3. At h. l. homines in universum intelligi debent. Forma verbi יְפִיפֵיִת vel ex duplicatione duarum priorum litterarum quadrilitera facta, vel quod rectius videbatur b. Michaëli, ad analogiam conjugationis Arabum duodecimae apud Ebraeos saepius v. c. I Chron. XV, 24 etc. occurrentis formata est. Propria enim est huic conjugationi significatio intensa.

Para-

Paralelismus in sequenti membro pulchritudinis notionem desiderat, cui vix respondet eloquentiae laus ex proprietate usus loquendi derivata. At iste modus, quo poeta facundiae laudes descripsit, tam prope ad formae pulchritudinem delineatam accedit, ut haec descriptio non ex auctoris ingenio petita, sed ad antiquitatem referenda videatur, quippe quae parum exercitata in notionibus universalibus formandis omnia a sensibus abstrahat. Si igitur imaginem spectaveris, vel paralelismo apta erit, quod nimirum auctor a generis notione exposita ad speciem quandam describendam transferit.

¶ gratia, id quod placet, h. l. suavitas sermonis neque venustas formae intelligenda esse videtur. „suavitas sermonis in tuis labiis diffusa nitet“ cf. Eccl. X, 12. Quam apte hae laudes Salomoni tributae sint, quisque concedere debet, qui vitam et virtutes ipsius bene cognoverit, nam fama sapientiae Salomoneae per totum Orientem divulgata vel reginam Arabum Hierosolyma adduxerat.

Describit harum virtutum effectum, quae regi favorem divinum conciliarint, vel potius has ipsius virtutes pro beneficiis divinis habendas esse declarat. Erant enim ex ipsorum sensu virtutes animi et corporis excellentes ad Deum referendae, cujus favor homines illis exornaverit.

עֲלֵכֶן, non causam innuit, quasi Deus ipsi bene voluisset, propter ejus pulchritudinem

nem et facundiam sed explicationi infervit.
„Sic Deus te semper amet“

V. 4.

Nunc evocat regem, fortem ac heroa, ut se fistat armatum, quod ita cum antecedentibus cohaeret, ut ornamenta ipsius varia enumeret. Quod si vero haec a notione pulchritudinis pendeant, ad quam etiam הַדָּבָר הַזֶּה redeunt, de expeditione, quaedam contra hostes facta non statim cogitari poterit. „accingas femori tuo gladium o heros“ הַדָּבָר הַזֶּה, qui tibi est decori et ornamento, per εν διαδυσει „qui te eminenter ornat“. Apposite dicuntur ad הַדָּבָר הַזֶּה, quae LXX τη ωραιωτητι σα και τω καλλει σα vertentes ad הַדָּבָר הַזֶּה retulisse videntur. Syrus vertit הַדָּבָר הַזֶּה „Decor tuus et gloria vincit“. Alterum הַדָּבָר הַזֶּה omisit, et antecedentia cum verbo צלח conjunxit, ex qua tamen in vertendo ambiguitate nondum ad lectionem corruptam concludere licebit. Caeterum, quam bene exhortationes et allocutiones conveniant odæ hebraicae, quam veri sint testes affectus, quam feliciter agentes introducant in Odam, quis est qui non intelligat, poetamque nostrum vel hoc nomine meruisse concedat?

V. 5

V. 5.

Pergit in describenda ipsius virtute, et novis laudibus exhortationi illi accommodatis addendis semper procedit in tramite, quem emetiri vult, nimirum in regis majestate celebranda. וְהִרְרָךְ, librarium negligentia mane repetitum esse videtur, quia jam LXX *ἄντιπῶν* vertentes, legerunt וְהִרְרָךְ a רָרַךְ arcum tetendit illud derivantes. Si quis vocem genuinam esse putet, jungat illam cum צֶלַח. In decore tuo floreas. Herderus. „Dein Schmucl beglückt“ qui vero sensus utique languere videtur; in primis cum צֶלַח felix fuit, plerumque absolute ponatur. Melius junguntur per *ἑ* δὲα δὲαυ רַבֵּב צֶלַח, felix vel victor conscende currum; prosper invehere in hostes, nam sic actio procedit. Gladio femori accincto currum conscendit, modo ut ex more Orientis is, qui rem quandam perfecturus est, ad illud negotium perficiendum excitandus sistatur. Qua de causa non facere possum cum V. D. in B. E. odae progressui sic consulente, ut imperativi formam in verbo רַבֵּב deleat, idque in participio sic esset „Floreat decus tuum, dum victor incedis et currum conscendis“ quae mutatio imperativi neque necessaria neque ulius veteris interpretis auctoritate niti videtur. שֶׁל דָּבָר, propter, „pro virtute“

וְעֵנְוֶךָ צֶדֶק In his verbis explicandis vix meliora iis inveniri possunt, quae Münthingius in

Psalorum explicatione ad h. l. attulit. Pro ועֲבֹרָה cum duobus codicibus Kennicotti ac Syro legit ועֲבֹרָה quod dictum esse putat pro ועַל עֲבִית ad analogiam על דָּבָר, eique significatum „in utilitatem, ex Arabico عَمِي „prodesse“ repetitum tribuit. Quam explicationem maximopere commendat paralelismus membrorum, quae sibi ita ad amussim respondent.

רָכַב עַל-דָּבָר אֱמֶת
(רָכַב-עַל) -עֲבֹרָה צֶדֶק

Aliis placuerunt alia. B. Dathius ducibus Chaldaeo, LXX et Vulgato עֲבֹרָה וְצֶדֶק ασυν-
Sετως pro וְצֶדֶק וְעֲבֹרָה dicta esse putat „pro mansuetudine et iustitia“ ubi tamen mansuetudinis notio non apta videtur. Alii צֶדֶק וְעֲבֹרָה nobiscum legentes non male vertunt „pro iustitia oppressa.“ Simonis עֲבֹרָה idem esse putat ac יָעֵן „propter“ cum הַ paragogico, quae forma nimis anomala nobis esse censetur. Neque facilitate commendatur *)Schultensii ratio, qui עֲבֹרָה pro imperativo mutata tertia radicali הַ in ךַּ habet, vertens „responde rigorem vigoremque iustissimum. Sensus igitur hic erit“ felicibus auspiciis invehere in hostes pro virtute ac iustitia“ V. D. in B. E. haec ita intelligit „Invehere contra hostes pro tua virtute

*) Schultens, de defectibus linguae hebraicae, p. 222.

tute et pietate“ Cui explicationi non tantum aduersatur, quod desunt suffixa secundae personae, sed in primis ambitus notionis, qui profecto in notione belli pro virtute et iustitia gerendi amplior esse videtur, quam in idea pugnae proba mente pugnatae.

תורה, futurum, quod illis imperativis respondet, a ירה jecit, rigavit, quae notio tropice translata est ad docendi significatum.

„Dextra tua te tremenda edocebit“ Aquila και φωτισει σε επι φοβησαι, LXX και οδηγησει σε θαυμασως η δεξια σε. „Dextra tua perniciosam cladem edet“ Quae interpretatio praefenda erit eorum opinioni, qui suffixum in תורה pleonastice positum esse putant, quod in hac constructione durius videtur. Syrus

vertit תורה כגדלך למצפתי, lex tua in terrore dexterarum tuarum quasi תורהך legisset.

V. 6.

Fortis atque herois imaginem quam in antecedentibus versiculis descripserat, victoriis ipsius persequendis ita magis exornat, ut brevis quidem sed magna vi strages a rege editas depingat. Quorum sensuum ardor, parenthesis maximopere auctus, notione vehementiae optime convenit.

Verba a Masorethis recte divisa putem. Ordo enim verborum, quem V. D. in B. E. instituit, ita ut conjungat,

B 4

שכונים

חֲצִיף שְׁנוּבִים

עֲמִים תְּחַתִּיף

וַפְּלוּ בְלֶב אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ

sum parenthesi, quae huic versiculo tantam vim atque suavitatem conciliat, obesse videtur, quia membra sic divisa singula per se intelligi possunt, tum versio verborum וַפְּלוּ בְלֶב „animo excident“ usu loquendi destituitur.

וַפְּלוּ, vel ad utrumque membrum referri potest, vel ad alterutrum similis notio subaudiri debet. „Tela tua acuta“

(Agmina ad pedes tuos cadunt)

„Pectus hostium o rex penetrant“

הַמֶּלֶךְ, quamquam illud pro genitivo habeo cui in membris sic dissectis omnino locus esse poterat, genitivum tamen in utroque membro conjungendo cum vocativo commutari posse existimabam.

Quam apte sit depicta hostium clades ad actionis progressum adjuvandum, quisque facile intelliget, cum hostes ad victoris pedes corruentes fingantur.

V. 7

A laudando victore atque duce virtute eximia praedito redit ad regiam ipsius dignitatem describendam, cujus splendor nunquam non sit interiturus, quia justum fit et aequum ipsius imperium. Si quae enim gratulandi materia Salomoni apta offerri poterat, vaticinium illud

Iud Nathanis II Sam. VII. non negligendum e-
rat, quippe quod Salomonis regnum ibi a Deo
fundatum aeternumque promittitur. Quam
parum haec omnibus aliis conveniant, et quam
bene in Salomonem cadant, quisque fateri
cogitur.

כִּסְאֵךָ אֱלֹהִים, pro כִּסֵּא אֱלֹהִים.
Aben Esra, quem sequitur Ben Melech in tra-
ctatu Michlal Jophi אֱלֹהִים jam pro genitivo
habuit. Cf. I. Chron. 29, 23. Similis for-
ma verborum extat II Chron. XV, 8. „Thro-
nus tuus est thronus Dei“ i. e. firmissimus, ae-
ternus, nunquam dimovendus. Sic et sal-
vus manet verborum ordo, qui perverti vi-
detur, si vertatur „Deus est thronus tuus aeter-
nus“ atque usus loquendi nobis quoque erit
amicus. quem vix puto ab eorum partibus sta-
re, qui אֱלֹהִים de rege quodam intelligunt.
Raschii tamen אֱלֹהִים de rege intelligendum
esse arbitratur, quia saepius dicatur de prin-
cipe Dei vicario. Cf. Exod. IV, 16. VII, 1.
XXI, 6. et XXII, 8.

Haec aperte ad spem istam referenda sunt
quae Davidi per Nathanem facta erat de impe-
rio Judaeae nunquam ab istius posteritate fe-
movendo „Sceptrum aequum est sceptrum
imperii tui“ Quae verba laudem iustitiae in
sequentibus amplius delineatae ex mea quidem
sententia continent, apte isti promissioni jun-
cta, quamvis paralelismus sententiarum solo
causarum nexu nitatur, qui tamen non om-
nino

nino erit contemnendus. V. D. in B. E. paralelismum ita restituit, ut verbo מִישָׁרָה notionem firmitatis tribuat, quod vero an jure factum sit, dubitem.

V. 8.

Pergit in laudanda ipsius justitia, et in enumerandis harum virtutum praemiis. Has vero laudes jam in quinto versu commemoratas Salomoni convenire vele I Reg. III, 28. cognoscitur, neque in terra pace diuturna fructe non aliter fieri poterat, quam ut recta judiciorum administratio adesset, civium concordiae aequae ac regis honori inserviens.

אַהֲבָה צְדָקָה, amas justitiam, i. e. exerces atque colis eam, nam de civili justitia neque de morum probitate ob versus praecedentis partem posteriorem cogitari debet. Quare non assentior V. D. in B. E. sine commodo צְדָקָה pro צְדִיק, abstracto pro concreto sumenti, idque de civibus fidem et obedientiam servantibus intelligenti. Eadem notio ponendo ante explicata, nunc negando repetitur; quae est frequentissima paralelismi species.

וְתִשְׂנֵא רָשָׁע, „odio habes violentiam“ abhorres injustas partes. Quae iterum non de improbitate universa intelligenda sunt, quia laudes singulae ac definitae hujus regis neque generales commemorantur. A virtute regia laudata facile transit ad dignitatem ipsiusque majestatem describendam, divino consilio tributam. Inter.

Interpretes recto monuerunt imagines in sequentibus propositas ab epulis et conviviis Orientalium esse repetitas, in quibus is, cui honor vel amor praecipuus exhibendus est, non solum amplioribus cibi ac potus portionibus, sed etiam suavioribus unguentis et odoribus ornatur. Notio igitur primaria haec erit tenenda „eximio favore ac amore te dignum judicavi.“

„Propterea Deus Deus tuus te oleo laetitiae magis quam socios tuos unxit“

שמן ששון, oleum laeto usui dicatum, in laetis epulis effusum. Favoris enim istius testimonia in alterius animo gaudium excitare debant.

מחבריך, majori favore te amplectitur quam alios, impensius te amat; Si quis scire cupiat, qui sint illi חברים, optime ex nostra sententia fratres Salomonis honorum aemulos fuisse istos חברים respondemus, quos throno occupato praevertit. Cf. I Reg. I. Caeteroquin vel omnino de aliis regibus cogitari poterit, quos majestate superet,

V. 9.

Continuat istas laetas imagines a conviviis desumptas, ad felicitatem regis omnigenam describendam, et ad consilium sibi propositum propius ferendum. Hic enim fere est odæ ordo. Rex tantis virtutibus praeditus, tot beneficiis divinis ornatus, splendore

ac luxu celeberrimus, omnis generis divitiis opulentus et a pulcherrimis mulieribus dilectus, hic, talis rex regis filiam uxorem ducere cupit.

Ad nominativos illos non male subauditur מיר, מירר, Myrrha, ab Arabico ^{میر} fluxit; manat enim ex arbore, quae in Arabia gignitur, et Acaciae est similis. Plin. Hist. Nat. XII, 15. et Cels. Hierob. T. I p. 135.

אגללוך, xylaloe sive agallochum Indiae nec Americae arbor ligni odorati. Ita Vulg. et Chald. Reliqui v. c. Syrus ^{كحل} LXX et Arabs ^{ساختن} vertentes divinando sensum affecti sunt. Cf. Cant. Cant. IV. 14.

קציעות Cortices Cassiae. Plin. H. N. XXI, 9, 10. „Vestes tuae myrrham xylaloen et cassiam redolent“ fragrantissimis et suavissimis odoribus plenus es. Pulcherrimus es et forma et ornatu, ideoque amore dignissimus.

Nunc quoque regii splendoris et luxuriae affert exemplum, ut cognoscatur, quantae sint huius regis opes atque divitiae, quanta ipsius potentia.

„Ex eburneis Armeniae palatiis prodeunt regum filiae te ornatum delectaturae.“

היכל, a capacitate et amplitudine palatium regium dicitur ex Arabico ^{محل}, magnus fuit. Ita LXX, ^{απο βασιλειων}

מַיִי Quamquam non universa Armenia (ארֶמֶנִיָּה) sic dicatur, quia ab Ararata distinguitur, tamen est pars Armeniae a Nicolao Damasceno *Mivras* dicta. LXX inscitia geographiae nomen proprium geographicum in particulam מַיִי mutarunt. Chaldaeus vero בְּשִׂיזְמִירִל עֵיִ אֵי vertens, nobis de Armenia esse cogitandum persuasit. Cf. Jer. LI, 27. et Boch. Geogr. S. L. I, c. 3, p. 20.

Num Telleri, et aliorum explicatio verbi מַיִי de fidibus nullo vetere interprete innixa aesthetico sensui loci nostri satisfaciatur, vix putem.

Verba בְּנוֹת מַלְכִים בְּקִרְוֹתֶיהֶן ex versu sequenti ad nostrum contra Masoretharum divisionem referenda sunt. Armeniae vero sine dubio ideo fit mentio, quia ibi pulcherrimae ac formosissimae puellae inveniuntur ut vel nunc mulieres Circassientes hac laude forent.

בְּנוֹת מַלְכִים filiae regum. Summum regis luxum prodit, quod puellae principum neque inferiorum ordinum ad regem adducantur. Cum de puella victoria parta nil quicquam commemoretur, sed rex regum filias ex Armenia accepisse dicatur, (neque ullus Judaeorum rex expeditionem contra Armeniam fecit, male ii, qui expeditionem regis contra finitimum populum in Psalmo nostro decantatam existimant, de puellis bello captis cogitant.

Non

בנות מלכים Non minori incommode
V. D. in B. E. vertit puellas, quae sunt regis.
Obstat enim non tantum pluralis מלכים sed
sic perit quoque vis horum verborum eximia.

שמחוך ביקורתך Exhilarant te splendide
ornatum, vel tua dignitate excellenti conspi-
cuum. Uti in antecedentibus membris om-
nes imagines ab epulis defumserat, ita et haec
imago a conviviis repetitur, quibus semper
pulcherrimae mulieres interesse solebant, tum
splendoris tum societatis causa.

V. 10.

Nunc propius ad scopum tendit, seque
convertit ad reginam, maximo splendore or-
natam, regi commendandam, quippe quae
prae caeteris emineat pulchritudine.

Sequimur in voce שגל interpretanda Ve-
terum versionem, qui eam vel reginam vel
conjugem dixerunt. Conjux declarabatur illa
eo ipso quod ad regis latus stabat. Aquila
„εσηλωθη συγκοιτις επι δεξιων σα et Symm. παρ-
εση η παλλακη“ „(Futura) tua conjux stat ad
dextram tuam“ Sic neque verbo שגל spon-
sae significatum obtrudimus, neque de regi-
na captiva opus erit cogitare.

בבתם אופיר, auro Ophiritico tecta. כהם co-
lor fulvus, deinde aurum. Aquila substitit
in propria verbi significatione „εν βαρμα-
τι ωφειρ“ In אופיר de Arabia felici nunc erit
cogi-

cogitandum; quia Salomoni commercium fuit cum Arabia.

Vel hic Poëta omni usus est arte, ut odæ progressum nova actione promoveret. Siflit enim conjugem regi adstantem, sibi que hac ratione viam munit ad eam sermone compellendam.

V. II.

Utitur vero dicendi genere admodum diverso ab eo quod huc usque secutus erat (ex quo facile de præstantia ingenii auctoris judicari poterit) sed molli ac leni loquitur sermone ad animum ipsius confirmandum. Sequentia non minus apte de Pharaonis filia ex Aegypto adducta, quam de filia regis bello capta intelligi posse, quis non concedat? Nonne desiderium ac amor patriæ eam dolore afficere poterat?

שמעי בַּת, audias o filia regis, admittas delinimenta doloris tui o regia puella. Quæ igitur fuerit שָׁגַל; explicat nostrum בַּת, regis nimirum filia. Quamquam virgo proprie non significatur per בַּת, sensus tamen admittit hanc versionem „o virgo“ sed an liceat בַּת cum *ῥαυφῆ* comparare, uti V. D. in B, E. fecit, dubius haereo.

וְרָאָה, vultus præfer serenum, oculos attolle laetos tristis enim oculis terræ infixis caput demittit.

atten-

הַטִּי אָזְנְךָ attendas ad sermones regis, ne eos negligentia parvi facere videaris. Is enim, cujus animus in alia regione versatur, quam ubi praesens est ejus corpus, recte neque audire neque videre dicitur, quia omnes fere ipsius sensus mortui saltem absentes videntur.

וְשָׁכַחְתִּי עַמִּי, obliviscere patriam tuam, exue parentum desiderium. Magno opus erat solatio, nam ex alia terra in aliam migrare, novos ritus addiscere, novam religionem profiteri, novos mores imitari et a patria familiaritate sejungi, quis haec praesertim istis temporibus parvi momenti judicet in animo muliebri commovendo.

Obliviscaris domus paternae, vel haec verba non ad reginam uxorem sed ad puellam *сужену* in nos remittunt. Si fuisset uxor regis bello capta, eam haud dubie admonuisset, mariti oblivisci.

Caeterum, quam grata sit haec adhortatio per gradus sese efferens, inde in primis apparet, quod poeta justum quidem ipsius dolorem esse concedit, sed nihilominus eam ab isto desiderio avocat, ad regem uberrimo gaudio exhilarandum.

V. 12.

Addit varias causas, cur tristitia sit abjicienda, cur laetus animus sit excitandus, quarum elegantissima haec est, ut eam admoneat, velit

velit si bicavere, ne nimia modestia pulchritudini suae si at detrimentum, quod ita enunciavit.

„Capietur rex tua venustate“ γ enim apodofin reddit versus antecedentis. „Quod si hilaris et laeta fueris, rex desiderio formositatis tuae tenebitur.“ In hoc laetitiae effectum describendo naturae fideliis extitit pictor, si inquit, gratiam formae ipsius multo majorem fore, si vultum componat serenum, atque tantam pulchritudinis suae vim ut rex vehementi desiderio ad eam traheretur.

Sequitur alia causa paulo durior sed ex Orientis moribus aptissima et gravissima, ab imperio mariti desumpta. „Est enim dominus tuus“ ארון de marito commode dici potest. Si rex vero dicatur ארון ea quoque jure antea שגל dicta est, ita ut rex et puella pro conjugibus haberi debeant. Neque opus videtur ut in ארון de victore cogitemus, quantum hic sensus ex loco nostro exsculpi possit.

Bene his resonant verba לו השתחויו, quae paralelismum egregie adjuvant. „Reveraris ipsum et obsequio prosequaris.“ In lectione recepta a qua vero LXX Vulg. et Arabs recedunt vertentes „et adorabunt ipsum filiae Tyri“ ac si legisent. לו השתחויו, manemus ideo, quia tum non opus est hac mutatione, ad versum sequentem commode explicandum, tum quia
C ifi

illi interpretes fortasse putarunt initio versus sequentis desiderari verbum plurale, neque difficultatem constructionis alio modo extricare potuerunt.

Denique בַּת־צַר longe frequentius est, quam בְּנוֹת צַר Eaedem rationes nos impediunt, quominus concedamus in sententiam *V. S. R. Telleri*, quam in commentario in hunc Psalmum Turretini libro de SS interpretatione adjecto proposuit, ex qua versum nostrum sic vertit. „Amat enim te princeps, vultque maritus tuus esse. Et quem ad modum eum venerantur incolae Tyri, ita tibi munera offerent divites populorum.“

V. 13.

Pergit in regina exhortanda et praemia ac honores futuros ipsius in mentem revocat, ut igitur animum confirmatiorem nanciscatur. Nam media in oratione ad reginam directa vix interferi poterat regis mentio imo haec de regina intellecta meliorem sensum fundunt.

בַּת־צַר, et filia Tyrus, non Tyri. Filia enim dicitur ratione matris habita. v. c. colonia Tyrus dicitur filia Phoeniciae, deinde successu temporis usus iste verborum sine peculiari respectu ad antiquam eorum significationem invaluit.

Prudenter dicit poeta e Tyro venturos esse homines cum donis, quia Salomo cum Hiramno Tyri rege amicitia conjunctus erat.

Cae.

Caeterum non omnia ac singula in tali carmine historice explicanda esse Herderus in genio poëseos hebraicae recte praecipit, sed in notatione uniuersa utroque membro expressa acquiescendum est. Tibi apud regem tanta erit auctoritas, ut et externae nationes et proceres patriae muneribus coram te sint appariturae, tuumque favorem efflagitaturae.

תבוא, sc. במנחה. Ellipsis facillime cognoscenda. בוא c. c. ב ex Arabica dialecto illustrari poterit in qua انا c. c. ٥ est adduxit. Munera aduenientium non pro debitis tributis esse habenda sed pro reverentiae testimoniiis, inter omnes constat.

הלה פנים, Schultensius *) ex primitiva significatione verbi לה trivit, nostrum verbum

explicat, faciem supplicando atterere, Lat. os perfricare i. e. exorare, Cf. Prov. XIX. 6. Quae verbi explicatio praeferenda erit Michaelis **) sententiae qui a verbo حلو dulcis fuit, repetit notionem, "suavia verba proferendi" eblandiendi faciem alicujus. Videtur vero hujus verbi compositio cum פנים minus commoda. LXX ex parte bene verterunt „το προσωπον ος μετανευσσεν“ עשירי עם non sine difficultate de alia gente quam de patria in his verbis cogitari poterit nam verba absolute sic dicta neque ad Tyrios commode

C 2

*) Orig. ling. Hebr. C. IX, P. 24.

**) Suppl. ad Lexx. Hebr. No. 731.

mode sine suffixo referri possunt, neque Dathii explicatio „ditissimae gentes“ ab usu loquendi admittitur. Proceres imperii igitur intellexerim. Interpretandi causa LXX addidisse videntur *της γης*.

V. 14.

Ab honoribus istis quibus istam sint prosecuturæ gentes externæ, transit ad ejus formam pulcherrinam atque ornatissimam laudandam.

כל כבודה dictum est pro superlativo, pulcherrima est regis filia. Sic enim membra versus constituenda erunt, quia graviter a poeta fuisset peccatum, si a nativa reginæ pulchritudine ad ornatum ipsius describendum descendisset.

פנימה Mappick inserto illud cum sequentibus jungo. „Interius ipfius, i. e. nativa ipfius formositas, vestium ornatui non debita.

משבצות, ocellata, tessellata, a verbo *שבץ* intertextuit; LXX parum accurate verterunt

„*εν προσωτοις χευστοις περιβεβλημενη*“ Utrum

פנימה cum V. D. in B. E. de interiori vestimento intelligi possit, ut ipsi opponatur

לכנשה indumentum exterius, non quidem negem, sed tenuior videtur notio, quam quæ a poeta nostro expectetur. Contextui vero

plane contraria neque paralelismo apta judicanda erit Dathii explicatio, qui *פנימה* ad

prius membrum refert, atque de interiori do-

mus

mus parte intelligit. „Summo vero honore afficietur regis filia in interiori palatio“ LXX verterunt מִן־בְּיָמֶיךָ per Εσεβων, uti ad h. l. legit Didymus, qui hoc verbum explicat“ Εσεβων ερμηνευεται ο βασιλευς δε των λογισμων τωνδικαιων εστι ο κυριος. Sic quoque Cyrillus hunc locum legit, I. II. περι της εν πνευματι και αληθειαι προσκυνησεως“. Aethiop. Psalm. habet, hesbon at Hieronymus ait in quibusdam exemplis inveniri „εξ εννοιων“ quae interpretatio est vocis hebraicae מִן־שָׁבֵן. In Codice Alexandrino editione Aldina et Complutenfi est εσεβων ex emendatione. Cf. Lamb. Bos ad h. l.

V. 15.

Versus sequentes pleni sunt actione et motu, nam poeta reginam splendide ornatam sollemni pompa ad regem adduci fingit, ut conjux in torum recipiatur.

מִן־מִן־מִן־מִן־ Michaelis ob ל praefixum non de vestibus acupictis cogitari posse censet, sed de aulaeis acupictis. LXX vertunt πεποιμημενη ac si legissent מִן־מִן־מִן־מִן־, at fortassis uti recentiores ex hypothese מִן־ ל significationem מִן־ ב tribuerunt, quod vix concedi potest.

„Intra aulaea adducitur regi“ מִן־ל de sollemni pompa usurpatur. v. c. Job. X, 13. de deductione ad sepulchrum XX, 32. de fastuoso ingressu in urbem. H. l. de honorifica deductione ad thalamum. Describitur porro ipsius comitatus non minori splendore conspiciuus. „Virgines amicae ipsam sequuntur“

מובאות לך, quae ad te ducuntur „i. e. soci-
ciae tuae. Optime Herderus „Begleiterinnen
ihr, Gespielenen“ Regina igitur se regi tra-
dit conjugem, quo tendit omne hymni con-
siliium nunquam ab auctore neglectum sed tam
accurate observatum, ut ultima Psalmi pars
optime cum initio cohaereat.

V. 16.

Pergit in pompae istius solemnitate de
scribenda, qua regina ad regem adducebatur.
„Adducuntur regina et amicae ejus inter
jubila gaudia.“

בשמחוש רגיל ita junguntur, ut alter
utrum substantivum inferviat adjectivo. „In-
trant palatium regis“. Ex primitiva verbi ברא
significatione. Male LXX בחיבל verterunt
eis vacat. Quam bene pompae agmine in pa-
latia regis adducendo odae progressui consu-
latur, poeta sensit, ideoque hanc descriptio-
nem in fine Odae esse voluit.

V. 17.

Hunc versum non ad regem sed ad re-
giam esse referendum, versus undecimus a-
perto flagitat, nam istis querelis respondet
hoc solatium et illi desiderio haec spes oppo-
nitur. Abreptus summo phantasiae ardore,
animum ad futura effert tempora, speque illa
gratissima capitur, fore ut reginae quondam
sit soboles florentissima. Eleganter ac vere-
cunde

cunde ita reginae futuram progeniem gratulatur, quod an suavius et jucundius dici possit fere dubito.

„Loco parentum tuorum quos tu deferere debuisti exorientur tibi filii. Pronomen enim possessivum saepe pronomine substantivo esse resolvendum vix opus est monere.

Neque minus apte sequentia de regina intelligi possunt „Praeficies eos principes terrae provinciis“ quod nimirum auctoritate sua apud regem efficebat. Male LXX *εγενθησαν* verterunt.

V. 18.

Neque hoc versu ad regem respici puto, sed ad reginam poetam esse locutum, mihi habeo persuasum. Sublimis est poetae conclusio, qui non sine iusta spe carminis sui laudem aeternam fore praedicit, atque certo praevidet, quod per secula laudetur ipsius hymno celebrata.

„Laudes tuas canam per generationes“

Pro *לְזָכְרָהּ לְזָכְרָהּ* LXX legerunt *לְזָכְרָהּ* *μνησθησονται* qua interpretatione magna perit versus elegantia. Koehlerus *) in Symbolis ad Psalmos putat LXX vere scripsisse *μνησθησονται* ut vel nunc legit codex Alexandrinus editio Aldina et Complutensis et *μνησθησονται* pro
erro-

*) In Repert. Eichhorn.

errore librarii habet, quem Vulg. et Arabs secuti sint.

כַּן־וַיִּשְׁבַּח, propterea quod hymni mei oblivioni nunquam tradentur, tuae quoque laudes in aeternum florebut. Hae laudes reginae isti Horatiano „simplex duntaxat et unum“ obesse quidem videntur, quod *unum* epithalamio tum erit, si conjugii notio teneatur. At huic primariae notioni neque laudes regis, a quibus hymnum exorsus erat, neque laudes reginae, in quibus desinit, quicquam officiant, imo ad argumentum recte tractandum iis opus erat.

Est igitur Psalmus noster oda perfectissima simplicitate et sublimitate insignis, imaginum pulchritudine et actionis vigore conspicua, nec non ordinem servat bonum. Quae si virtutes in hoc ut et in aliis hymnis Hebraeorum deprehendantur, nonne literis Ebraeis fit gravissima injuria, si tale carmen sine omni pulchritudinis sensu perlegatur, nec unquam ad hymni praestantiam in eo respiciatur?

VERSIO LATINA.

2)
Carmen amorum.

2)
Ebullit bona verba pectus meum
Regi canam hymnum meum
Lingua mea similis est stylo scribae periti.

3)
Pulcherrimus es hominum
Gratia in labiis tuis est diffusa
Sic te Deus semper amet.

4)
Accingas o heros lateri tuo gladium
Decus et ornamentum tuum.

5)
Felix veharis pro virtute ac iustitia
Tunc dextra tua te mira edocebit.

6)
Tela tua acuta
(Ad pedes tuos ruunt agmina)
Pectus hostium o rex penetrant.

Thro-

7)

Thronus tuus divinus ac aeternus est
Sceptrum rectum est imperii tui sceptrum.

8)

Amas justitiam et odio habes violentiam
Propterea te Deus Dominus tuus oleo laetitiae
magis quam socios tuos unxit.

9)

Omnes tuae vestes redolent myrrham xylaloen et
casiam,
Ex eburneis Armeniae palatiis prodeunt regum
filiae te ornatissimum delectaturae.

10)

Regina dextrae tuae adstat
Auro Ophiritico tecta.

11)

Audias o filia! adspicias, attendas
Obliviscaris gentis tuae et domus paternae.

12)

Tunc pulchritudine tua rex capietur
Est enim dominus tuus, quem reverearis.

13)

Atque Tyrus cum muneribus te adibit
Ditissimi patriae proceres te supplices rogabunt.

Pul-

14)

Pulcherrima est regis filia
 Nativa ipsius formositas major vestium au-
 ro intertextarum ornatus.

15)

Intra aulaea regi adducitur.
 Puellae sequuntur amicae, faciae tuae

16.

Adducuntur inter júbila gaudia
 Infrant regis palatium. —

17.

Loco parentum tuorum erunt tibi filii.
 Quos praeficies principes terrae provinciis.

18)

Laudavi te per generationes
 Gentes te quoque in aeternum laudabunt.

Versio teutonica.

1)

Ein Lied der Liebe.

2)

Ein frohes Lied strömt aus meiner Brust hervor
 Dem König weih ich meinen Gesang,
 Meine Zunge gleicht dem Griffel eines fertigen
 Schreibers.

Du

3)

Du bist der schönste unter den Menschen
Anmuth ergifst sich über deine Lippen
So seegne dich Gott ewig.

4)

Gürt' o Held um die Hüfte dein Schwert
Deinen stolzen Schmuck.

5)

Sey glücklich, streite für Wahrheit und Recht
Dann wird dich deine Rechte furchtbare Thaten
lehren.

6)

Deine scharfen Pfeile
(Völker fallen zu deinen Füßen)
Dringen in's Herz der Feinde o König!

7)

Dein Thron, ist ein Thron Gottes, ewig uner-
schütterlich!
Ein Scepter der Gerechtigkeit ist dein Reichs-
scepter.

8)

Du liebst Billigkeit, haffest Unterdrückung
Drum hat dich dein Gott mehr als deine Brü-
der mit dem Oel der Freude gesalbet.

Myrr-

9)

Myrrhen Agallochum und Kassa duftet all dein
Gewand,
Königstöchter aus Armeniens glänzenden Pal-
lästen erfreuen dich in deiner Pracht.

10)

Dein Gemahl steht zu deiner Rechten
In Ophirs Gold gekleidet,

11)

Höre Mädchen, sieh und neige dein Ohr hin
Vergifs dein Volk und dein väterliches Haus

12)

Dann wird der König sich nach deiner Schön-
heit sehnen,
Er ist dein Herr, verehere ihn!

13)

Tyrus naht sich zu dir mit Geschenken
Und die Reichsten des Volks flehen um deine
Huld.

14)

Ganz herrlich ist des Königs Tochter
Ihre Schönheit ist gröfser denn goldgestickter
Kleider Pracht.

In

15)

In ein prächtig verziertes Gemach wird sie zum
König geführt,
Freundinnen begleiten sie, Gespielinnen ihr.

16)


In Freud und Wonne werden sie zum König
geführt,
Jetzt treten sie in des Königs Pallast, —


17)

Statt deiner Väter werden dir einst deine Kin-
der feyn
Zu Fürsten des Landes wirst du sie erheben,

18)

Ich sänge dein Lob von Geschlecht zu Geschlechte
Drum preissen ewig Nationen dich.





Fd 3984

ULB Halle 3
002 164 590





TA-OL

V317

M. W.







26

ITATIO PHILOLOGICA
SUPER
ALMO XLV.

IN
OLLEGIO PHILOBIBLICO
OD LIPSIAE FLORET,
HABITA.

QUA ILLUD
RO SUMME REVERENDO
TIANO SAMUELI WEISSIO
GIAE DOCTORI ET AD AEDEM NI-
NAM DIACONO SUMMOS IN THEO-
IA HONORES OBSERVANTER
GRATULATUR.

PER
F. RICHTERUM A. M. *at*

SIAE SEXTILI c180ccivc.
LITERIS LOEPERI.

Georg. Th. Lohmeyer